



TM 0212.


Theodor Mahlmann

10. Okt. 2008

Burgdorf / AH

\*








Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann









BREVES ET SUCCINCTI

De Ecclesiarum particularium Reformatione quoad  
doctrinam & ritus aphorismi, additis nonnullis

*ἑπεὶ ἀγμάσι*

*Quos*

Pio favente numine

*Præside*

REVERENDO  
ET CLARISSIMO VI-

RO M. CASPARO STURMIO SS.

Theologiæ Professore & stipendiariorum E-  
phoro in Illustri Academia Marpurgensi  
tueri conabitur

*M. HIERONYMVS QVANTZIVS*  
*Cassellanus.*

In Collegio Theolog. Die 21. Martij.

MARPURGI CATTORVM

*Ex Chalcographia Rodolphi Hutvvelckeri*

ANNO clō lō C VI. 1606





REVERENDO ATQVE DO-  
CTISSIMO VIRO Dn. M. CHRISTIANO ZIN-  
DELIO ECCLESIA RV M, QVÆ CHRISTO IN INFERIORE  
Cattimelibocatu colliguntur, Superattendenti vigi-  
lantissimo, patrono ac fautori suo omni obser-  
vantiaẽ genere prosequendo

Hasce positiones Theologicas  
inscribit, offert & dedicat.

Respondens.

APHO.





# APHORISMI

De

*Ecclesiarum particularium quoad doctrinam & ritus reformatione.*

¶

**V**erissimè illud à sapientia dictum: responsio molli frangit iram, durus autem sermo suscitatur furor.

2 Nos ut sapientibus disputando prodesse non possumus; id tamen fortè consequemur, ne quem hac nostra de Ecclesiarum reformatione proflota dilceptatione molestiâ affecisse jure videamur.

3 Qua in re haud parum proderit cum modestiâ brevitate conjunxisse.

4 Illa enim simplicitate suâ contenta invidiam lenitate declinat: Hæc rerum necessariarum & utilium finibus circumscripta in rixosas ambubajarum contentiones minimè excurrit.

5 Est autem reformatio Ecclesie à debita perfectione deflectæ à vitijs repurgatio, & ad genuinam formam revocatio.

6 Nec Ecclesia ullius particularis tanta tamq; omnibus modis perfecta puritas fuerit, ut nihil quicquam, quod pollutione vel saltem aliqua deformatum non esset, in ea deprehenderetur.

7 Obtingit autem omnis deflexio vel in doctrina vel in ritibus.

8 In doctrina, cum ad patefactam in scriptura sacra sententiam non rectè accommodatur.

A 2

10 Schif-



- 9 Idque vel schismate vel errore.
- 10 Schismate cum manente fidei doctrinae unitate, ob sermonem non satis dextrè perceptum, aliqua opinionum fit distractio I. Cor. 1.
- 11 Errore verò, cum, ut ait Hilarius, non verbis sed rebus ipsis à veritatis orbe disceditur.
- 12 Est autem error tum levior tum gravior.
- 13 Levior in rebus momento inferioribus committitur.
- 14 Hoc erroris genus magnos sæpè in Ecclesia antistites implicavit deviosque abduxit.
- 15 Sic Hieronymus de cœlibatu: Tertullianus de nuptijs secundis: Cyprianus de rebaptizandis, qui in hæresi baptismum recepissent, aberrarunt.
- 16 De quibus August. 1. contra Iulianum Pelagianum: Alia sunt in quibus inter se aliquando doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage non consonant: & alius alio una de re aliquid melius dicit & verius, &c.
- 17 Error gravior est qui religionis fundamenta sive articulos fidei convellit & pertinaciter inventionis suæ placitis & commentis adhærescit.
- 18 De quo idem D. Augustinus citato loco & præcipuè contra Cresconium Grammat. lib. 2. c. 12. Non est Catholicum eos hortari, ut errore correcto salvi fiant, quos inexpugnabiliter atque insanabiliter asserimus errare.
- 19 Hic igitur Reformationis sanctæ remedio imprimis opus est, ut populus, qui in Christi consortium venit, idem eadem mente & eadem sententiâ loqui discat. ut supra Apostolus.
- 20 Idem de Sacramentis omninò statuendum.
- 21 Quod enim verbum Ecclesiæ renunciat, idem Sacramenta legitimo usu percepta atque administrata confirmant.
- 22 Proinde pari religione curandum, ut his quoque integritas



gritas sua conservetur, aut si quid quoquo modo à genuina re-  
stitudine diversum ob reperit, eo remoto proprium & genui-  
nnum restituatur.

23 Quæ de verbo & sacramentis diximus, eadem vel pro-  
xima cura ritibus vel ceremonijs debentur.

34 Ritus dicimus quemvis morem aut modum in Eccle-  
sia ad commodiorem dignioremque verbi & Sacramentorum  
dispensationem salutaris consilio institutum.

25 Estque in ordine & Decoro.

26 Ordo est, cum ad vitandam in domo Dei confusionem  
omnia locis temporibus & actionum discriminibus disposita  
administrantur.

27 Decorum verò gravi ac decenti ornamentorum digni-  
tate, quæ ex actionibus rebusque in Ecclesia gestis elucet, pie-  
tatem simul & reverentiam mysterijs sacris in coetu conci-  
liat.

28 Quotiescunq; igitur hic quoque vel Ordo turbari: vel  
Decorum vitio corrumpi coeperit, Reformatio muneris sui ra-  
tione habita, res in melius referre non cessabit.

29 Læditur autem Decorum, cum ceremoniæ vel pro ne-  
cessarijs haberi: vel pro peccatorum venia gratiæque merito  
adhiberi: vel denique luxu & splendore verum Dei cultum  
obruere potius, quàm illi inservire occipiunt.

30 Diximus qua reformatione opus sit: Nunc quorum  
hominum eæ partes sint, & quem modum tenere debeant, cõ-  
sideremus.

31 Pertinet nempe ad omnes, qui se Christo per bap-  
tismum consecrarunt, & societatis Ecclesiasticæ jus adepti sunt,  
ut vitia illa tollant, & Ecclesiam erroribus purgent.

32 Quamvis autem huc operam suam omnes conferre,  
hic desudare pro viribus deceat; aliorum tamen pro alijs major  
virtus & diligentia major pro donorum atque munerum vel

A 3

magni-



magnitudine vel mediocritate aut tenuitate etiam requiri-  
tur.

33 Primi omnium reges, principes & magistratus sunt re-  
liqui.

34 Hos enim propterea Deos appellat, rerumque Domi-  
nos in mundo esse voluit: honore potentia & maiestate arma-  
tos, ut Ecclesiam tueantur & non solum à Tyrannide mundi  
sed hæresibus quoque & errore omni salvam intemeratamque  
conservent.

35 Indeque adeò est, quod præterquam domus suæ ac le-  
gum suarum custodiam illis præcipuè commendat Deut. 17, E-  
sa. 49. servorum quorundam suorum hac in parte præstitam di-  
ligentiam fidemque in scripturis tantoperè illis commendat.

36 Inter quos post Mosen, Samuelem, Davidem fidelita-  
tis & pietatis laudem præcipuè meruerunt Hiskias & Iosias.

37 Hiskias enim in ipso regni auspicio, in ipso primi men-  
sis primo limine ab impio patre clausam Iehovæ domum reclu-  
dit: Levitas oratione prorsus gravi ad reformationem excita-  
tos, & filiorum nomine (ne quid ad perfunctionem alacriorem  
tam sancti operis deesset) appellatos, in domum interiorem  
mittit & omnem immunditiam foras eijcere jubet. 2 Par. 29.

38 Iosias non inferiori zelo, sicuti de ipso olim coràm Ro-  
boamo propheta Bethelimiticus prædixerat, excelsa Baalis fer-  
ro ac flamma omnia extinxit. 1. Reg. 13.

39 Vides opinor ad magistratus, qui rerum in mundo Ha-  
benas tractant, imprimis pertinere ut filium regis æterni oscu-  
lentur, eiusque regnum à pollutione atque interitu vindica-  
tum conservent.

38 Impiæ igitur & temulentæ vanitatis est, eos ab hac pul-  
cherrima arce deturbare: ac siquid tale fecerint, quod ad re-  
formationem non minus utilis, quam necessariam requireba-  
tur.



tur, istud vitio illis dare & nescio cujus vertiginosæ turbulentiæ accusare velle.

39 Videt hanc planè Sycophanticam impudentissimæ linguæ calumniam, & cum tempus erit ad poenam justissimam deprecetur Dominus.

40 Proxima à principibus circa reformationem piorum ministrorum vigilantia esse debet.

41 Hos enim nocte dieque operibus sanctis accinctos & in domo Domini in atrijs stantes manus suas extollere & benedicere illi decet, qui fecit coelum & terram. Psa. 134 & 135. v. 2.

42 Exemplo Levitæ & sacerdotes sunt Hiskia Regis temporibus, qui ut iussi erant à sanctissimo rege in domum ingressi omnem immunditiam eiecerunt.

33 Tandem & populi studia ad reformationis opus accedant, turpeq; sibi quoque existimet, quam potuit operam studiumque ad rem tam utilem Deoque gratam non attulisse.

44 Sic olim Israëlitæ summi, infimi, mares, foeminæ ad extruendum sanctuarij splendorem, quæ cuique copia concessa fuit, abundantissimè omnia afferebant.

45 Sic idem populus quoties Baalis aliarumque abominationum sordibus domus Dei & mons sanctus maculatus esset, pro repurgationis Christiano zelo, ut mundities & nitor genuinus restitueretur, summo studio laboravit.

46 Utinam eadem pietas seculo hoc nostro rediret, tandemque aliquando primitiva illa simplicitas nativæque verbi, Sacramentorum & rituum facies grata magis quam novitas antiquitatis & consuetudinis cerussa colorata haberetur.

47 Sed hucusque modestiam, præeunte brevitate metamque monstrante, secutos esse sufficiat.





ADDITAMENTVM QVÆ  
STIONVM QVARVNDAM, QVIBVS SV-  
periora, paucis præterea additis, de-  
clarantur.

I.

**A**N satis digna causa fuit, ut, quisquis ille hominum fuit, qui hoc primùm ausus est, usurpatam à Salvatore & ab Apostolis frequentatam Panis fractionem in non-fractionem commutaret? Negatur.

2 Annon supra magistrum discipulus, & mediastinus vilifsimus supra magnos illos Dei servos sapere voluit? Affir;

3 An Christiana libertas hoc illi permittat? Negatur.

4 An hoc illi simile? quod Apostoli circumstantias quasdam à Domino non adhibitas pro salute ac commodo Ecclesiæ mutarunt. Negatur.

5 Potest ne igitur magistratus Christianus hunc morem corrigere? Potest: imò debet etiam.

6 An enim minus hoc deceat, quàm alios abusus, quos temeraria mundi sapientia invexit, castigasse? Nequaquam.

7 Imò si Christiani magistratus, eos quoque abusus, qui soli vanitati ociosè inserviebant, removerunt, eccur non liceat non-fractionem, restituta indignitatem suam fractione, auctoribus suis remittere? Affirmatur.

8 Satisne est pro concione Decalogi integritatem servare & docere, nisi etiam teneris subnascentium plantularum animis, æquo studioparique diligentia infigas? Negatur.

9 Plurisne est in Ecclesia Præceptum de idolis seorsum doceri; an vero 9. & 10. conjungi? Illud affirmatur, istud rejicitur.

10 Mori





10 Mori pro mundi vita est ne ἀποτέλεσμα, an humanæ naturæ proprium?

11 Hoc nobis affirmandum est : illud negandum.

12 Vis probemus? Quod negatur simpliciter mori posse: Id neque pro mundi vita morietur.

13 Forsan & hoc vis Probari? Quod ab aliquo removetur simpliciter & in totum, id ab eodem etiam removetur determinatè.

14 Filius hominis edit, bibit, est ne communicatio Idiomaticum seu τρόπος ἀνιδόσεως. Negatur.

15 Nec enim unionem expressè præsupponit, nec ad Nestorium κοινωνίας hostem refutandū quicquam virium habet.



RESTAT V T NOSTRAM DIS  
PUTATIONEM HAC PRECATIVNCV-  
la claudamus.

**P**ia pater modestie,  
Pia pater concordie  
Et simplicis prudentie.  
Cui nil vagum, nil devium  
A rectitudinis tue  
Amabili preconio,  
Et charitatis melleæ  
Injuriosi criminis  
Obliviosum turbine  
Arrisit unquam. Da meo  
Hoc in senili pectore

B

Vsqz






Vsq; ad supremos halitus  
Indefinenter spiritus  
Tranquillitatis ut pia  
Augescat & modestia.  
Nec criminosa turpium  
Calumniarum provocet  
Recriminantum futili  
Per mutuum protervia  
Dirarum ut insolentium  
Bachæ feroci murmure:  
Anusq; verbosam quibus  
Natura linguam duplici  
Paravit in præcordio.  
Cave hoc Parens, cave obsecro  
In hac senecta debili.  
Ne crimen atrox ambiam  
Præterq; morem insaniam,  
Sed corde puro & simplici  
Te diligentes diligam;  
Ac hostibus famam & fidem  
Vasfrè petentibus meam  
Paratus usq; indulgeam;  
Et persecutus intimo  
Te corde totus comprecor,  
Vt ad salutem prospero  
Tuam vehantur alite.

Amen.

FINIS.





25









06

06














































































































































































BREVES ET SUCCINCTI

De Ecclesiarum particularium Reformatione quoad  
doctrinam & ritus aphorismi, additis nonnullis

*ἑπεὶ ἀρχαῖα*

*Quos*

Pio favente numine

*Præside*

REVERENDO  
ET CLARISSIMO VI-  
RO M. CASPARO STURMIO SS.

Theologiae Professore & stipendiariorum E-  
phoro in Illustri Academia Marpurgensi  
tueri conabitur

M. HIERONYMVS QVANTZIVS  
*Cassellanus.*

In Collegio Theolog. Die 21. Martij.

MARPURGI CATTORVM

*Ex Chalcographia Rodolphi Hutvelckeri*

ANNO clō 15 C VI.

*1606*